VIRIS
*MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,*
*atq; CONSULTISSIMIS*

DOMINO
# JOANNI BAUM-GARTIO,
PROCONSULI ET PRÆSIDI REIP. THOR.
gravissimo,

DOMINO
# JOANNI CZIM-MERMANNO,
PROCONSULI SENIORI, ET VICE-PRÆSIDI
meritissimo,

DOMINO
# JOANNI GODO-FREDO ROESNERO,
PROCONSULI ET PROTO-SCHOLARCHÆ
splendidissimo,

Die
JOANNIS BAPTISTAE
memoriae sacro,
*Onomastica sua celebrantibus,*
Laurum hanc poëticam
*obsequiosissime*
*consecrat*
G. H. CZIMMERMANN. Thor.

---

*THORUNII,*
Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS. TYPOGRAPHUS. 1709.

IAm polus & tellus ridet, jam pontus & aequor
Geſtit, & innumeros laquearia ſplendida cœli
Effundunt plauſus. Sentit ſua gaudia Titan,
Quando pallentem vegetavit lampade terram:
Quae variis foecunda bonis pretioſa recludit
Munera. Jam ſvavi volvuntur claſſibus undae,
Murmura dum fugiunt aeſtivo ſaucia coelo.
Ceſſat in hibernos Phoebus declivior Auſtros,
Non Eurus, Boreasque ruunt, creberque procellis
Africus evertit terras: Sed mulcet amico
Æolus imperio, blandis moderatus habenis
Tempora. Jam flavet Zephyris ſpirantibus aeſtas.
Ad cantus revocatur avis, quae carmine clauſo
Pigrior ante fuit: nix terras ipſa relinquit
Vellere turgentes cano: redit aurea Chloris,
Temporis ac omnis pars optatiſſima ſplendet.
Et mihi jucundum hoc nova praebet gaudia tempus,
Atque jubet laetos ex tanta luce triumphos
Carpere mens hilaris, nec eandem corde latere.
Nam redit ille dies, quo non felicior alter,
Aut quo vix aliquis, toto praeſtantior anno.
Quando VIRI CELEBRES onomaſtica gaudia, ſive
Nominis optatam lucem celebrant. Mihi, ſalve,
Clara dies, niveo ſemper ſignanda lapillo!
Quot non in laudes mortalia pectora cogis,
Quanta, precor, ſtudii gratantes vota propinant!
Nec mihi mollitie lentum tardeſcere pectus
Jam ſinis, ut potius nulli concedere laudem
Obſequii ipſe velim, gratae praeconia mentis
Quaerens. BAUMGARTI, praeclari NOMINIS Haeres,
Non ego jam laudes, facundi voce Periclis
Dignas, depromam, mea cum ſententia certo

Non

Non constet talo: tamen haec encomia dico,
Quae perhibent vires, non queis TUA maxima Virtus
Digna est: hanc etenim laeto Respublica vultu
Suspicit, & supplex longe veneratur amatam.
Quae cum per Titulos, tum Nomina magna PARENTUM,
Claros ac PROAVOS, quin saepe per ipsa precantum
Vota ivit. Tot nunc ad nobilis instar Olivae
Effrondet meritis, quot jam cum foenore summo
Insignes genuit fructus. Hoc nempe fatetur
Urbs THORUNA: suo confirmat Civicus Ordo
Arbitrio, quod sis, nulli, nisi sontibus, asper,
Æquam judicii lancem, sceptrique rigorem,
Collibrare sciens. Sic, sic juvat esse beatum!
Et TIBI, CZIMMERMANNE, gravis Patriae Pater, omnes
Accurrunt laudes, quoties ad splendida summae
Nomina Virtutis fugio. Namque hanc mihi legem
Fixi constantem, cum sint vestigia famae
Clara TUAE, Vitamque TUAM resonare talentis
Egregiis faciant, mea Musa involvere peplo
Talia permittat nunquam tacito. Pharus esto
Laudis, & altarum semper concordia svavis
Virtutum: qualis TIBI contigit, Optime CONSUL.
Non studium memorabo TUUM pietatis, & ardens
Exemplum, specimenque bonam componere vitam.
Non loquar eximios Patria nutante labores,
Quippe TUO primum redonasti Nomine florem
Illi: nec dicam, TIBI quos adduxit, honores,
Emeritos Virtus, tum splendida Nomina. Verum
Templa celebrabunt laudes, quin ipsa loquetur
Curia. Vel sese librabit fama volando
Narratura suae spumante sub aequore genti
Quantus eras meritis. Jam TE, ROESNERE, saluto,

Stre-

Strenue PROCONSUL Patriae: prout obſervantia ſvadet
Legibus expreſſi tot circumſcripta favoris.
Supplicis acceſſum mentis patiaris, & illud,
Quod queo, non quod ferre volo, dignare ſereno
Obſequii exemplar vultu. Mihi namque ſilere
Vix fas, in plauſu hoc, vocalibus atque triumphis,
Incluta quos Virtus TUA gratos provocat inter
Cives. Namque TIBI finxit praecordia Titan
De meliore luto. Quis neſcit, quantus Apollo
Sis Urbi, Muſisque TUIS, quae palmite juncto
TE decorant. Quam ſis claro ſublimis honore,
Quam mente inſignis, rerumque exercitus uſu:
Quam probus aſpectu, vel quam ſpectabilis ore,
Gratus & acclinis cunctis, quam mitis in omnes.
Talis es, & tantus, tantum circumferet orbe
Echo, & quisque TUO ſitiet diteſcere vultu.
Ergo VIRI grandes, ac URBIS LUMINA noſtrae,
Pellite, quaeſo, procul curas; ſit dulce levamen
Ipſa dies VOBIS, quam nunc rediiſſe videtis
Omine felici: reſonant dum pectore vota
Multorum, precibus qui coelos mille fatigant,
Saepius ut famae, vitaeque ſuperſtitis annus
Is redeat felix, ubi Nomen in Orbe JOANNIS
Vertitur. Inde ſimul veſtigia VESTRA colenti
Non licuit tacuiſſe mihi, ſed candidiore
Mente diem celebraſſe ſacram, tantasque Calendas
NOBILIBUS VOBIS novies ſalvere jubere,
Et fauſto novies coelo noviesque reverti!

3356